liter DEUS affectus e: quippe qui in altis habitans non hec inferiora, abjectos nos homines
pulvis et cinis ~~fuit~~ sumus, spernit. Is n. licet formosissimus, licet ditissimus, licet sanctissimus, li-
cet beatissimus, mundum tn. dilexit: dilexit mundum peccatis deformem, mundum egenum, mundum
praevaricatum, mundum totum malum. Ita a. hunc dilexit: ut non Croesi fortè thesauros, non
Attali opes, sed inexhaustum coeli thesaurum, Filium videl. Filium non alienum, sed propri-
um, eumq non e multis unum, s. unigenitum, Filium dilectissimum daret. Ecquis unquam de
tali audivit dilectione et gratia? Sic itaq Natali Dominico DEUS factus e inops, ut nos
redderet divites: DEUS factus e in ignominia nostri similis, ut nos sibi aequales redderet in
gloria. O gratiosum, ô salutarem diem, quo nec optabilior, nec saluti nostrae conducibilior
ullus accidere potuit! Et quomodo sic exclamarem? Invitat siquidem ipsa hujus diei felicitas
me ad exclamandum: non quod in propriis potissimum terminata usibus, et ad alios raro
transierit, sed quod nobis praecipue felix obvenit, estq auspicatissima. Hac quippe die Filius
DEI fecit satis Patri nascendo; Pater nos fratres filii e matre semper virgine recepit. Spiritus
S. fraternitatem hanc in cordibus nostris obsignavit; tota S.S. Trinitas approbavit. Filii nempe
DEI redditi sumus per adoptionem, Fratres per incarnationem, haeredes per sanctificationem.
O gratiam sine modo! O charitatem sine exemplo! Quis ad hoc tantae misericordiae, quis
ad hoc tantae gratiae exemplum non obstupesceret? Me certe, ubi gratiosum hunc Nata-
lem magis magisq cogitare incipio, tam vehemens subit admiratio: ut merito propemo-
dum concidam, nec potis sim, mea quicquam amplius efferre lingua. At vero, dum hic
haereo, aliquis interim Titulus efferendus succedit: sequens sc. ut Natalem Domini tanquam di-
em Victoriosum disseram. Nec n. quoad clarissimus mundi oculus, Sol, hunc oriendo et acci-
dendo illustravit, salutarior, nec victoriosior orbi dies apparuit. Novimus quippe Natalem
Domini maximae illum ac saluberrimae victoriae autorem ee et initium. Esto igitur, quod ma-
gno illi orbis praedoni, Alexandro; Pompejo quoq et Attalo, fatales et gratiosi Natales
fuerint: utpote qui, prout in Annalibus relatum legimus, et dederant et eripuerant vitam:
Servatoris tn. nostri Natalis et vitam, quam perdideramus, nobis restituit, et mortem,
quam meriti eramus, abstulit. Restituit vitam cum victoria: abstulit mortem cum victoria.
O victoriosum diem! ô diem aliis victoriosis diebus longè anteferendum! Fausti
quod nonnullis sui evenisse leguntur Natales et fortunati: sed ista felicitas in propriis sal-
tem terminabatur usibus, et rarò transibat ad alios: Tuus v. Clarissime JESU,
Natalis nobis, nobis praecipuè felix obvenit, et auspicatissimus, victoriosus obvenit, salu-
taris obvenit. Philippus Macedo Natalem suum ut laetum et fortunatum mirificè
observabat, quod triplici gaudio eo die delibutus eet: nam quadrigas suas eo die O-
lympiae vicisse, et Parmenionem, ducem fortissimum, hostes fudisse, natumq sibi Alexan-
drum filium fuisse, teste Plutarcho, Justino, aliisq acceperat. Nos tamen, ô
Servator, Natalem infinitis laetiorem modis prosperioremq sancte devoteq observamus.
Praeter ea n. quod sexcentis eo nos beneficiis mactasti: inter alia quoq nos triplici
non minus gaudio nos affecisti. Nimirum non in Olympico quodam ac ludicro, quod
Pindarus nobis olim decantavit, s. hoc longe acerbiore, Stygio dico, certamine divinae
sc. potentiae, justitiae, veritatis, sapientiae quadrigis hac ipsa die pugnare coepisti et
vincere, majestatem tuam infinitis modis demonstrans: Primis v. divinam tuam
potentiam demonstrasti: siquidem tanta opera praestitisti, quanta ab homine mortali
neq suscipi, neq perfici possunt. Et quod solus talia es molitus, non stipatus